

Zur
Gräfl.vom Hagen'schen
Majorats - Bibliothek



MÖCKERN
gehörig.

No. 5068

05
9
4



IVLIVS.

DIALOGVS VIRI CVIVS-
PIAM ERVDITISSIMI, FESTI-

uus sane ac elegans, quomodo IVLIVS. II.

P. M. post mortem cœli fores pulsando,

ab ianitore illo D. Petro, intromitti

nequiverit, quanq̄ dum viueret san-

ctissimi, atq; adeo sanctitatis

nomine appellatus totq; bel-

lis fœliciter gestis præ-

clarus, dominum cœli

futurum se esse

sperarit.

INTERLOCVTORES.

Iulius. Genius. D. Petrus.

Lector, risum cohibe.

n

IV

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE



INTERLO-

CVTORES, IVLIVS
II. GENIVS ET
PETRVS.



VLIVS. II. P. M.

Quid hoc mali est?
Non aperiuntur fo-
res? Opinor aut mu-
tatam aut certe turba-
tam seram. GENIVS.

Quin potius uide,
ne tu non attuleris

clauem quam oportet, neq; enim eadem ape-
ritur hoc ostium, qua arca numaria, atq; adeo
cur non utramq; huc attulisti? nam ista
quidem potentiae clavis est, non scientiae.

IVLIVS Imo mihi praeter hanc nulla
unquam fuit, neq; uideo quid opus sit illa,
quum haec adsit. GENIVS. Nec

ego sane, nisi quod interim excludimur.

IVLIVS. Effervescent mihi bilis, pul-

A ij sabo fo-

fabo fores. Heus heus, aperite hoc actutum
aliquis ostium. Quid hoc rei est? Nemo
prodit? Quid ita cessat hic ianitor? ster-
tit opinor ad probe potus. GENIVS. Ut
hic ex se metitur omnes. PETRVS. Bene
habet quod portam habemus adamantinam,
alioqui fores hic quisquis est, perfregisset.
Gigantem aliquem, aut satrapam, urbium
euerforem, oportet adesse. Sed o Deum
immortalem quam hic cloacam olfacio. Non
statim aperiam ostium, sed hic e fenestella
cancellata prospectans, quid portenti sit
cognoscam. Quis es? Aut quid tibi uis?
IULIVS. Quin tu fores aperis, quantum
potes, Qui si tuo fungi uoluisses officio, ob-
uiam oportuit uenisse, uel uniuersa coeli um-
pompa. PETRVS. Satis imperiose.
At tu mihi prius exponito quis nam sis.
IULIVS. Quasi uero ipse non uideas.
PETRVS. Videas? Ego uero nouum &
hactenus non uisum spectaculum uideo, ne
dicam monstrum. IULIVS. At ni plane
caecus es, agnoscis opinor clauem hanc, si
quercum auream ignoras. Et uides tripli-
cem coronam, nec non undiq; gemmis & au-
ro lu-

ro lucentem pallam. PETRVS. Equidem
argenteam clauem utcumq; agnosco, licet &
solam, & multo dissimilem ijs, quas olim
uerus ille pastor Ecclesiae mihi tradidit
Christus. Porro Coronam istam tam super-
bam, qui quaeso possim agnoscere? quam nec
barbarus unquam tyrannus ausus est gesta-
re? nedum is qui huc admitti postulet. Nam
palla quidem ista nihil me mouet, qui gem-
mas & aurum, perinde ut rudera semper cal-
carim, atq; contempserim. Sed quid est hoc?
uideo passim & in clauis, & in corona, &
in palla notas sceleratissimi cauponis &
impostoris, mei quidem praenomimis, sed non
instituti, Simonis, quem ego quondam Chri-
sti praesidio deieci. IVLIVS. Mitte nu-
gas istas, si sapis, nam ego, si nescis, sum Iu-
lius ille Ligur, & agnoscis, ni fallor, duas
litteras. P. M. nisi omnino litteras nullas didi-
cisti. PET. Significare opinor, Pestem ma-
ximam. GEN. Ha ha ha, ut hic diuinator
rem acu tetigit. IVL. Imo Pontificem Ma-
ximum. PET. Ut ter maximus sis ac magis
etiam q̄ Mercurius ille Trismegistus, huc non
recipieris, nisi fueris optimus, hoc est sanctus.

Aij

Iulius

IV. Atq; adeo si quid ad rē pertinet appella-
ri sanctū, nimium impudens es, qui mihi cum
eteris aperire fores, cum tu tot iam seculis
tantummodo sanctus dicaris, me nullus un-
quam uocarit, nisi sanctissimum. Extant
sex millia bullarum. GEN. Vere bullarum.
IVL. In quibus non semel sanctissimus do-
minus nominor, imo iam sanctitatis nomine
denotabar, non sancti, ut quicquid mihi li-
bisset. GEN. Etiam temulento. IVL.
Id sanctitatem sanctissimi domini Iulij dice-
rent fecisse. PE. Quin tu igitur ab istis adu-
latoribus coelum postulato, qui te sanctissi-
mum fecerunt, & iidem tribuant foelcitta-
tem, qui dederunt sanctitatem. Quanquam
usq; adeo nihil interesse censes, dicaris san-
ctus, an sis? IVL. Irritor, si uiuere mo-
do licuisset, ego tibi istam nec sanctitatem
inuiderem, nec foelicitatem. PET. Quo-
cem sanctissimæ mentis indicem, quanquam
& alioqui ego te iamdudum oculis totum
collustrans, multam impietatis, nullam in te
sanctimonie notam animaduerto. Quid
enim sibi uult nouus iste comitatus, tam non
pontificius? Nam uiginti ferme milia tecum
adducis,

adducis, nec ullum in tanta conspicio turba,
cui uel uultus sit Christianus. Video teter-
rimam hominum colluuiem, nihil præter for-
nices, temetum ac puluerem bombardicum
olentium. Latrones conducticij mihi ui-
dentur, uel laruæ potius tartaræ, huc ab
inferis eripuisse, ut cælo bella moueant. Iam
te ipsum quo magis ac magis contemplor, hoc
minus ullum uideo Apostolici uiri uestigium.
Principio quid hoc monstri est, quod cum
superne sacerdotis ornatum geras, idem intus
armis cruentatis totus horres crepasq;? Ad
hæc, quam truces oculi, quam contumax os,
quam minax frons, quam elatum & arrogans
supercilium. Nam pudet dicere, ac piget
interim uidere, nullam corporis partem non
conspurcatam notis prodigijs ac abomi-
nandæ libidinis. Ut ne dicam, quod etiam-
num totus & ructas & oles crapulam ac te-
metum, ac mihi quidem modo uomuisse uide-
ris. Vtiq; is est totius corporis habitus, ut
non tam ætate morbisue, quam crapula uie-
tus, marcidus, ac fractus uidearis. GEN.
Ut graphice hunc suis depinxit coloribus.
PET. Tametsi uideo te iam dudum mihi

A iij

superci-

Supercilio minantem, tamen haud queo reticere, quod sentio. Suspicio pestilentissimum illum Iulium ethnicum ab inferis rediisse personatum, ut me rideat, adeo tibi cum illo conueniunt omnia. IUL. Ma di. si. PET. Quid dixit? GEN. Iratus est. Ad hanc uocem nemo Cardinalium non fugitabat, alio qui sustem illum Sanctissimi sensurus, praesertim a conuiuio. PET. Tu mihi uidere probe callere sensum hominis, proinde dic mihi, quis es? GEN. Ego sum magnus ille Iulij genius. PET. Imo malus opinor. GEN. Qualiscunq; sum, Iulianus sum. IUL. Quin tu nugas istas missas facis, ac fores aperis? nisi mauis effringi. Quid multus opus est? uides cuiusmodi ducam comites? PET. Sane uideo latrones exercitatissimos. Verum ne sis inscius, haec fores tibi sunt alijs armis expugnandae. IUL. Verborum, inquam, iam satis. Ni propere pares, excommunicationis fulmen, uel in te torquebo, quo summos aliquando Reges, atq; adeo regna terrui. Bullam uides, iam in haec paratam? PET. Quod malum fulmen, quod tonitru, quas bullas, quas ampullas
mihi

mibi narras obsecro? nam istorum nihil unquam audiimus à Christo. IUL. At senties, nisi pares. PET. Si quos olim istis fumis territasti, nihil ad hunc locum, hic ueris agas oportet. Benefactis, non maledictis hæc arx expugnatur. Sed quaeso te, tu mihi fulmen excommunicationis minitaris? dic quo iure? IUL. Optimo, quando iam priuatus es, nec aliud quàm quilibet priuatus sacerdos, imo ne sacerdos quidem, ut consecrandi impotens. PET. Nempe quia mortuus opinor. IUL. Videlicet. PET. At ista quidem ratione, nihilo mihi præstas plus quàm mortuus. IUL. Imo quamdiu Cardinales de nouo Pontifice subrogando litigant, mea est administratio. GEN. Ut adhuc uitæ somnia somniat. IUL. Sed iam aperi inquam. PET. Ni merita narras inquam, nihil agis. IUL. Quæ merita? PET. Dicam. Excelluisti doctrina sacra? IUL. Minime, nec hoc uacabat tot occupato bellis. Verum abunde satis est fratrum, si quid hoc ad rem pertinet. PET. Ergo uitæ sanctimonia multos Christo lucrifecisti? GEN. Tartaro quam plurimos. PET. Claruisti miraculis?

A p Iulius.

IVL. Obsoleta loqueris. PET. Pure orasti
& assidue? IVL. Quas nugas hic gannit.
PET. Ieiunijs quoq; uigilijsq; corpus emace-
rasti? GE. Desine quæso frustra hæc apud hunc,
ne ludas operam. PE. Ego alias egregij Pon-
tificis dotes non noui, si is habet magis Apo-
stolicas, narret ipse. IV. Quanq̄ indigna res
est, Iulium illum omnibus antehac inuictum,
nunc Petro cedere, ut ne quid aliud dicam, pi-
scatori, ac pene mendico, tamen uti cognoscas
cuiusmodi cõtemnas Principem, audi iam pau-
cis. Principio Ligur sum, non ut tu Iudæus, cū
quo mihi uel hoc tecum esse commune doleo,
quod nauiculator aliquando fuerim. GE. Nihil
est quod grauiter feras, nam hic quoq; per-
multum interest, quod hic uictus parandi gra-
tia piscabatur, tu ad stipem exiguam, scalmū
remis subigebas. I V. Deinde Sixti Pontificis
uere maximi. GE. De uicijs sentit. IV. E so-
rore nepos. Huius singulari fauore, meaq; in-
dustria, primum ad ecclesiasticas opes, deinde
per gradus ad Cardinalitij galeri fastigiū sum
euectus. Post multis fortunæ procellis exerci-
tus, ac durissimis casib. sursum iactatus ac deor-
sum, ac præter alios morbos, comitali quoq;
obnoxius.

obnoxius. Deniq; scabie quoq; (quam gallicā
uocant) totus opertus. Ad hæc exul, inuisus,
damnatus, omnibus abiectus, ac pene deplora-
tus, Tamen ipse de summo pontificio spem
nunq; abiecti, ea erat animi fortitudo. Quum tu
muliercula uoce territus, statim cesseris. Tibi
mulier animum ademerat, Mibi mulier quæ-
dam fatidica, siue sortilega, fiduciam hanc ad-
diderat, quæ quondam totmerso malis, clam
insusurravit in aurem, Perdura Iuliane, nihil
te pigeat uel facere, uel pati, olim triplici co-
rona decoraberis, eris rex regum, et dominus
dominantium. Neq; uero me fefellit, uel mea
spes, uel illius uaticinium. Huc quoq; præter
omnium spem sum eluctatus, partim ope
Gallorum, qui reiectum fouerunt, partim in-
estimabili ui pecuniarum, non absq; multo
conflata foenore, nec id absq; ingenio tamen.
PET. Quod ingenium narras? IUL. Hoc est,
non absq; promissis ex pacto sacerdotijs, atq;
in hoc repertis ex arte fideiussorib. quando-
quidẽ tam ingentem pecuniã uix Crassus ipse
presentem totã numerasset. Verũ hæc frustra
tibi narro, q̄ ne quidẽ oēs intelligant mēsarij.
Habes quomodo peruenerim. Iã in pōtificatu
ita me

ita me gessi, ut nemo sit, non dicam prisco-
rum illorum pontificum, qui solo titulo mihi
uidentur fuisse pontifices, sed nec recentio-
rum, cui tantum Ecclesia, tantum Christus
ipse debeat, quantum mihi. GEN. Ut
Thrasonem agit belua. PET. Expecto
quorsum euadas. I V L. Nam multis officijs
(sic enim uocant) nouis repertis, non me-
diocriter auxi fiscum pontificium. Tum ra-
tionem inueni, ut citra Simonie uitium Epi-
scopatus emerentur. Nimirum constitutum
est a maioribus meis, ut cui contigerit Epi-
scopatus, is deponat officium. Id ita sum in-
terpretatus, deponere iuberis, at non depo-
nitur quod non habes, emendum igitur quod
deponas. Hac arte singuli Episcopatus sena-
statim, aut septena ducatorum millia adfere-
bant, prater illa quæ ex more pro bullis ex-
torquentur. Tum ex noua moneta (qua to-
tam expleui Italiam) non exiguum emolu-
mentum conflauit, nec ulla cessauit parte in
accumulandis pecunijs. Nimirum intelligens
absq; his nihil recte geri, neq; sacrum, neq;
profanum. Et ut ad maiora ueniam, Bono-
niam a Bentiuolis occupatam Romanae sedi
restitui,

restitui. Venetos ante inuictos omnibus,
 Marte contudi. Ferrariae ducem diu male ue-
 xatum bello, propemodum in Nassam illexe-
 ram. Conciliabulum schismaticum simulato
 cōtra concilio foeliciter elusi, & clauū (quod
 dici solet) clauo pepuli. Postremo Gallos,
 tunc orbi formidabiles uniuerso, ex uniuersa
 Italia deturbauit, deturbaturus et Hispanos (nā
 huc ibam) nisi me fata terris eripuissent.
 Atq; hic quoq; quam inuictum praestiterim
 animum, uide. Gallis superioribus, latebras
 circumspicere coepi, Canam alebam bar-
 bam, rebus propemodum in desperationem
 adductis, cum repente nuncius affertur au-
 reus, apud Rauennam aliquot Gallorum mi-
 lia truci data, ibi reuixit Iulius. Ad haec per
 triduum ferme pro mortuo habebam, etiam
 mihi, atq; hic quoq; rursum praeter omni-
 um atq; adeo meam etiam spem reuixi.
 Tantum igitur ualet mea uel autoritas, uel
 astutia, ut hodie nemo sit regum Christia-
 norum, quem non ad arma concitauerim, ru-
 ptis, discissis, discussis foederibus omnibus,
 quibus inter se fuerunt exactissime conci-
 liati. Proximo quoq; foedere (quod Cameraci
 inter

inter me, & Gallorum & Rom. Regem, ali-
osq; coierat principes) ita abolito, ut eius ne-
mentio quidē unq̄ sit facta. Super hæc omnia,
quum tantum aluerim exercitum, tot splendi-
dissimos triumphos adornarim, tot exhibue-
rim ludos, tot locis adificauerim, tamen mori-
ens reliqui quinquagies centena milia ducato-
rū, maiora gesturus, si Iudæus ille medicus, qui
diu mihi uitam arte sua prorogarat, amplius
proferre potuisset. Atq; utinam nunc quoq;
magus aliquis me in uitam restituat, quo egre-
gijs cœptis meis colophonē liceat imponere,
Tametsi moriens sedulo id curauim, ne bella
per me toto orbe concitata cōponerentur, de-
diq; operam, ut pecuniæ in eum dumtaxat
usum essent incolumes. hæc erat suprema uox
animam exhalantis. Nunc & sic de Christo,
sic de Ecclesia merito pontifici, grauare cœli
fores aperire? Atq; hæc magis admirabitur,
qui perpenderit me hæc sola animi uirtute
perpetrasse, nullis alijs adiutum adminiculis,
quibus alij fere solent. Nō natalibus, quum ne
ipse patrem norim, quod quidem ad gloriam
meam dixerim, Non forma, quum larualem fa-
ciem omnes exhorruerint. Non literis, quas
nunq̄

nunq̄ attigi. Nō corporis uirib. quod mihi tale
contigit, quale superius descripsi. Non etatis
fauore, senex hæc gessi. Nō popularitate, nam
nemo non oderat. Non clementia, qui adeo fue-
rim inexorabilis, ut in eos quoq; seuerim,
quib. alij solent omnia permittere. PE. Quid
hoc rei est? GE. Hoc tametsi durum uidetur,
molle quiddam est. IV. Sed reluctante fortu-
na, etate, corpore, breuiter dijs atq; hominib.
solo tamen animo fretus meo et pecunijs, hæc
tanta paucis annis gessi, tanta relicta materia
posteris, ut sit quod agant uel in decimū an-
num. Hæc de meipso uerissime quidem, sed mo-
destissime dixi, quæ si quis eorū, qui Romæ so-
lent apud me dicere, suis phaleris exornasset,
Deum audires, non hominem. PE. Inuictissime
bellator, quoniam mihi noua et inaudita sunt
omnia quæ narras, quæso ueniā hanc meo des,
uel stupori uel imperitiæ, ne molestū sit crassi-
us de singulis percunctanti respondere. Qui
sunt isti candidi, comatuliq;? IV. Hos quidem
animi causa alebā. PE. Quid nigri isti & cicca-
tricosi? IV. Milites sunt ac duces, qui mea et
Ecclesiæ causa fortiter in bello mortem oppe-
tierunt, partim in expugnanda Bononia, cō-
plures

plures in praelio aduersus Venetos, pleriq;
apud Rauennam, quibus omnibus, uel ex pa-
cto debetur coelum. Siquidem iam pridem
magnis bullis sum pollicitus, recta in coelum
euolatuos, quicumq; Iulij auspicijs pugna-
rent, etiam quaecunq; uita praecessisset.
P E T. Proinde quantum coniectura conse-
quor, ex istis erant, qui mihi saepius ante tuum
aduentum molesti fuerunt (dum huc tantum
non ui conarentur irrumperere) plumbeas quas-
dam bullas ostentantes. I V L. Ergo non
admisisti, quantum audio. P E T. Ego ne-
ne unum quidem istius sane generis. Nam
ita me docuit Christus, has fores aperiendas
non his, qui plumbo graues huc adducunt
bullas, sed qui nudos uestierunt, esurientes
pauerunt, sitientibus potum dederunt, ca-
ptiuos inuiserunt, peregrinos collegerunt.
Etenim si eos quoq; uoluit excludi, qui in
nomine suo prophetarint, qui demonia eiece-
rint, qui signa fecerint, tu censes admitten-
dos, qui tantummodo huc asserunt bullam,
Iulij nomine? I V L. Quid si scissem?
P E T. Intellego, si quis ab inferis reuersus,
ea tibi nunciasset, bellum indixisses mihi.
I V L.

IVL. Quin & excommunicassem. PET.
Sed perge, cur armatus ipse? IVL. Quasi
nescias summo pontifici utrunq; esse gladi-
um, aut nisi uelis bellare nudum. PET. Ego
sane cum istum tenerem locum, nullum noui
gladium, nisi gladium Spiritus, quod est uer-
bum Dei. IVL. At non idem predicat
Malchus, cuius auriculam absq; gladio ampu-
tasti credo. PE. Memini & agnosco, sed tunc
pro magistro Christo pugnabam, non pro
me, pro uita Domini, non pro numis, aut
ditione seculari. Et pugnabam nondum Pon-
tifex, promissis dumtaxat clauibus, nondum
acceptis, nondum accepto Spiritu sancto,
Et tamen iussus sum recondere, ut palam ad-
monerer, hoc pugnae genus non conuenire
sacerdotibus, imo ne Christianis quidem, Ve-
rum haec alias. Cur tam accurate te Ligu-
rem esse praedicas? Quasi quicquam hoc ad
Christi Vicarium pertineat, qua gente sit ori-
undus. IVL. Imo summam existimo pie-
tatem, gentem meam nobilitare, proinde
titulum hunc, numismatis, statuis, fornicibus,
ac parietibus omnibus inscribo. PET. Ergo
patriam nouit, qui patrem non nouit? At
B ego initio

ego initio putabam te de coelesti Hierusalem,
credentium patria loqui, deq; illius unico prin-
cipe, cuius optant illi sanctificari, hoc est,
illustrari nomen. Sed cur addis, Sixti ex so-
rore nepotem? quem quidem hominem demi-
ror nunquam huc accessisse, praesertim cum
& summus fuerit Pontifex, & tibi tanto
duci cognatus. Quare dic obsecro, quid ho-
minis fuit? sacerdos ne? I V L. Imo miles
egregius, tum eximia religionis, nempe Fran-
ciscanae. P E. Equidem Franciscum uidi quon-
dam uirum inter laicos optimum, opum, uolu-
ptatis, ambitionis summum contemptorem.
An pauperculus ille tales nunc habet satra-
pas? I V L. Tu, quantum uideo, nolis quen-
quam ad meliora proficere. Pauper erat &
Benedictus, cu huius posterum nunc adeo diuites
sint, ut nos etiam illis inuideamus. P E. Pul-
chre, scilicet ad rem redito, de Sixti nepote.
I V. Consulto id facio, nimirum ut obturem
os illis, qui me ex illo propugnatum affirmant,
nimium libere. P E T. Libere, scilicet num &
uere? I V. Atqui non est istud e Pontificia
dignitate, cuius ubiq; habenda est ratio. P E.
At ipsa sui rationem ita demum rectissime
mihi

mibi uidetur habitura, si nihil admittat quod
quod iure possit opprobriari. Sed obtestor per
pontificiam maiestatem dic mihi bona fide,
est ne ista iam uia uulgaris, ac solennis ad
summū pontificium perueniendi, quam modo
depingebas? IUL. Aliquot iam saeculis haud
fuit alia, nisi forte qui mihi successurus est.
alia creabitur uia. Nam ipse summū affecutus
pontificium, statim edita formidabili bulla ca-
ui, ne quis simili ratione ad eum honorem pe-
netraret, eam bullam & paulo ante mortem
renouaui, quantum sit ualitura, uiderint alij.
PET. Opinor neminem rectius id malum de-
scribere potuisse, sed illud miror, quenquam
inueniri, qui munus hoc uelit suscipere, præ-
sertim quum tot occupationibus sit (ut au-
dio) obnoxium, & tanto negotio ad id sit
eluctandum. Nam me pontifice uix quis-
quam ui poterat adigi, ut Presbyteri aut Dia-
coni susciperet honorem. IUL. Neq;
mirum adeo, nam illis temporibus census
Episcoporum & præmium nihil aliud
erat, quam labores, uigiliae, ieiunia, doctrina,
sepenumero mors, Nunc regnum est ac ty-
rannis. Et quis pro regno, si spes sit
B ij non

non dimicet? PE. Sed age, quid Bononia, nunc
a fide desciverat, ut fuerit sedi Romanæ re-
stituenda? IVL. Bona uerba, Non hoc
agebatur. PET. Fortasse Bentiuolo male
administrante, marcebat resp. IVL. Imo
maxime florebat ea ciuitas, multis edificijs
aucta & illustrata, & eam ob rem impen-
sius inhiabam. PET. Intelligo, Præterius
igitur inuaserat? IVL. Ne hoc quidem,
ex pacto possidebat. PET. Ciues ergo non
ferebant eum principem? IVL. Imo mor-
dicus illum tenebant, me auersabantur fere
uniuersi. PET. Quid igitur causæ? IV.
Nempe quod ille sic administrabat, ut ex im-
mensa pecunia, quam à ciuibus colligebat,
uix pauca millia, ad nostrum redirent fi-
scum. Præterea sic expediebat, ad id quod
tum temporis agitabam animo. Itaq; Gal-
lis operam nauantibus, & nonnullis meo
fulmine territis, profligato Bentiuolo, Car-
dinales & Episcopos urbi præfeci, ut nulla
pars emolumentorum non rediret ad usus
Ecclesiæ Romanæ. Ad hæc, titulus & im-
perij dignitas ante penes illum esse uideba-
tur. Nunc undiq; nostræ uisuntur statuæ,
nostræ

nostri leguntur tituli, nostra adorantur tro-
phæa, iam passim & Iulius saxeus stat & æ-
neus. Deniq; si spectasses, quam regali
triumpho Bononiam sim ingressus, fortasse
contemneres omnes, Octauiorum ac Scipio-
num triumphos, & intelligeres me non absq;
causa tam strenue pro Bononia dimicasse,
uereq; spectasses eodem tempore, & militan-
tem & triumphantem Ecclesiam. PET.
Ergo te regnante, quantum intelligo, conti-
git illud, quod orare nos iusserat Christus,
Adueniat regnum tuum. Iam uero Veneti
quid admiserant? IUL. Primum græcissa-
bant, ac me propemodum pro delectamento
habebant, nihil non conuiciorum in me iaci-
entes. PET. Verorum, an falsorum? IUL.
Quid refert? sacrilegium est de Roma-
no Pontifice, uel mutire, nisi in laudem.
Deniq; sacerdotia suo conferebant arbitra-
tu, nullas lites huc transferri patiebantur,
nullas commercabantur dispensationes. Quid
multis opus est? intollerabili iactura Ro-
manam sedem affligebant. Quippe qui non
exiguam insuper patrimonij tui partem oc-
cuparent PET. Mei patrimonij? Quod
B iij _____ obsecro

obsecro mihi narras patrimonium? qui re-
lictis omnibus, nudum Christum, nudus sum
secutus. IUL. Aliquot inquam oppida
sedi Romanæ debita, Sic enim peculiarem
illam possessionum suarum partem sanctis-
simis patribus placuit appellare. PET.
Mea quidem infamia probe uestris lucris con-
sulitis. Hanc igitur appellas iacturam in-
tollerabilem? IUL. Quid ni? PET.
Verum erant corrupti mores, refrixerat pie-
tas? IUL. Apage, de nugis agis, imo de-
traherentur nobis infinita ducatorum milia,
quot uel legioni militum alenda sufficiunt.
PET. Magna sane iactura fœneratori. At
Ferrariensis ille, quid tandem designarat?
IUL. Quid ille? homo omnium hominum
ingratissimus? Huic honorem eum habuerat
ille Christi uicarius Alexander, ut alteram
filiam illi daret uxorem, addidit dotis no-
mīne luculentissimam dittonem, homini alio-
qui ignauo, Tamen immemor tante hu-
manitatis, semper oblatrabat mihi Simonia-
cum pæderasten, ac ē motæ mentis hominem
dictitans, Et insuper uectigalia nonnulla
inducabat non illa quidem maxima, ta-
men

men haudquaquam aspernanda diligenti pa-
stori. GEN. Imo negotiatori. IUL.
Ad hæc quod uerius ad rem pertinet, expe-
diebat & hoc ad id quod parabam, Hoc
imperij, nostræ ditioni copulari, propter
situs oportunitatem. Proinde conatus
sum, hoc deturbato, ditionem eam meo co-
gnato conferre, uiro strennuo, & quiduis pro
dignitate Ecclesiæ ausuro, ut qui nuper su-
apte manu Cardinalem Papiensem in meam
gratiam confoderit. Nam filia maritus sua
sorte contentus est. PET. Quid audio?
uxores ac liberos habent summi pontifi-
ces? IUL. Suas quidem uxores non habent,
liberos autem habere, quid monstri est, cum
sint uiri, non eunuchi? PET. Sed quæ tan-
dem res excitarat schismaticum illud concilia-
bulum? IUL. Per longum fuerit rem à prima
repetere origine, dicam summam. Iam quos-
dam tædere coeperat Romanæ curiæ, Aie-
bant, turpi questu, prodigiosis ac nefandis
libidinibus, ueneficijs, sacrilegijs, cadibus,
simoniacis nundinis, undiq; inquinata
esse omnia. Me ipsum aiebant simonia-
cum, temulentum, spurcum, mundano
B iij turgidum

turgidum spiritu, ac modis omnibus eum, quæ
locum illum indignus, cum summa reipublicæ
Christianæ perniciæ, occuparem. Itaq; ge-
nerali Concilio succurrendum esse rebus af-
flictis. Addebant adiuratum me, ut post ac-
ceptum honorem, intra biennium generale
Concilium indicerem, hac lege creatum Pon-
tificem. PET. Atq; id uere dictum? IUL.
Imo factum. At ipse me ab eo iureiurando,
quum uisum est, absolui. Quis autem dubi-
tet, uel quiduis deierare, cum de regno agi-
tur? In alijs colenda pietas, ut eleganter ille
dixit Iulius, alter ego. Sed audaciam homi-
num specta, uide quorsum euadant. De-
sciscunt Cardinales nouem, denunciant mihi
Concilium, inuitant, orant, ut præsideam.
Quum non impetrant, indicunt uniuersis, au-
tore Maximiliano tanquam imperatore (quod
historiæ testentur, olim ab Imperatoribus
Romanis Concilium indici solere) autore
item Gallorum Rege Ludouico eius nominis
duodecimo. Horresco referēs, ac tunicā illam
Christi inconsutilem conantur discindere,
quam ij quoq; reliquerunt integrā, qui Chri-
stum crucifixerunt. PE. Sed eras istiusmodi
qualem

qualem illi prædicabant? IUL. Quid ad rem? summus eram Pontifex, finge me uel Cercopibus sceleratiorem, uel Morycho stultiorem, uel indoctiorem stipite, spurciorem lerna. Quisquis hanc tenet potentiaë clauem, eum decet, ut Christi Vicarium reuereri, ut sanctissimum suspicere. PET. Etiam aperte malum? IUL. Vel apertissime. Quare non ferendum, ut is qui Dei uicem agit in terris, omnino Deum quendam inter homines præstat, à quo piam homuncione reprehendatur, Aut conuicijs uioletur. PET. Atqui reclamationis sensus communis, ut bene sentiamus de eo, quem palam scelerosum cernimus, aut bene loquamur de eo, de quo mala sentimus. IUL. Cogitet quisq; quod uolet, modo bene loquatur, aut certe sileat. Porro reprehendi non potest Romanus Pontifex, nec à Concilio generali. PET. Vnum hoc scio, qui Christi uicem sustinet in terris, debere, quam potest, illi similitudinem esse, atq; ita uitam omnem peragere, ne quid in eo possit reprehendi, neue quisquam merito de illo male loqui queat. Male uero cum pontificibus agitur, si ut bene de se loquantur
B p homines

homines minis extorquent potius, quam bene
factis impetrant, quos nisi mentiendo laudare
non possis, quorum summa gloria sit, homi-
num male sentientium coactum silentium.
Verum illud mihi responde, Nulla ratione
potest amoueri scelerosus ac pestilens Ponti-
fex? IUL. Ridiculum, a quo amoueretur qui
summus est? PET. At qui ob istud ipsum
maxime debebat amoueri, quia summus. Nam
quo maior, eo perniciosior. Si mundanæ
leges imperatorem male rempu. admini-
strantem, non solum abdicant, uerum etiam
capitis afficiunt supplicio, Quænam est tam
infaelix Ecclesiæ conditio, ut Ro. Pontificem
omnia subuertentem ferre cogatur, nec ullo
pacto possit publicam pestem depellere?
IUL. At si corrigendus est Ro. pontifex, per
Concilium corrigatur oportet. Porro nullum
Concilium cogi potest inuito pontifice, alio-
qui Conciliabulū sit, non Concilium. Quod si
maxime cogatur, nec statui quicquid potest re-
fragante pontifice. Denique restat extremum
presidium, absoluta potestas, qua longe iam
superior est unus Pontifex uniuerso Conci-
lio. Ceterum submoueri sacerdotio non po-
test ob

test ob quoduis crimen. PE. Non ob homicidium? IVL. Nec ob paricidium. PE. Non ob fornicationem? IVL. Bona uerba, imo ne ob incestum quidem. PET. Non ob simoniacam impietatem? IVL. Non uel ob sexcentas. PET. Non ob ueneficium? IVL. Ne ob sacrilegium quidem. PET. Non ob blasphemiam? IVL. Non inquam. PET. Non ob hæc omnia simul, in unam ceterlernam conflata? IVL. Adde, si libet, sexcenta flagitiorum nomina, his quoque foediora, non potest tamen Ro. Pontifex ob ista submoueri loco. PE. Nouam uero mihi Ro. pontificis dignitatem predicat. si quidem huic soli licet impune pessimum esse. Tum magis nouam infelicitatem Ecclesie, si tale portentum nulla uia queat excutere, talemque cogatur adorare pontificem, cuiusmodi nemo toleret stabularium. IVL. Quidam ob unum quiddam aumtaxat amoueri posse dicunt. PET. Ob quod obsecro benefactum? quandoquidem ob malefacta non potest, si ob hæc quæ dixi non potest. IVL. Ob crimen herescos, at ita demum, si publice sit convictus. Verum id quoque friuolum est, neque uel

neq; uel tantillum officit pontificiae maiesta-
ti. Primum in manu est, legem ipsam ab-
rogare, si minus placeat. Deinde quis ausit
summum Pontificem in crimen uocare? præ-
sertim tot armatum præsijs? Ad hæc si
forte prematur Concilio, facilis est palimo-
dia, si inficiari non liceat. Postremo mille
sunt cuniculi, quibus facile possit elabi, ni
prorsus stipes sit, non homo. PET. Sed dic
mibi per pontificiam potestatem, quis leges
istæ tam præclaras condidit? I V L. Quis
alius nisi fons legum omnium, Romanus Pon-
tifex? Atqui eiusdem est legem abrogare,
interpretari, dilatare, astringere, utcumq; ui-
sum est suis expedire commodis. PET.
Fœlicem profecto Pontificem, si legem ferre
possit, qua Christum etiam eludat, nedum
Concilium. Quanquam aduersus huiusmodi
Pontificem, cuiusmodi tu modo descripsisti,
palam scelerosum, temulentum, homicidam,
simoniacum, ueneficum, periurum, rapacem,
portentosis libidinum generibus undiq; con-
spurcatum, idq; propalam, non tam optandum
generale Concilium, quam ut plebs armata
saxis, ut publicam orbis pestem, publicitus
tollat

tollat e medio. Verum age, dic mihi, quid est
causæ, cur Romanus Pontifex tantopere
horreas generale Concilium? I V L. Quin
idem à monarchis quæris, cur senatum & ce-
lebres confessus oderint? Nempe quod turba
tot excellentium uirorum, nonnihil obscure-
tur regia dignitas. Qui docti sunt, ijs literæ
fiduciam & audaciam addunt, Qui boni
conscientia freti, liberius loquuntur, quam
nobis expediat. Qui dignitate præditi, auto-
ritate utuntur sua. Accedunt inter hos
nonnulli, qui nostræ inuident gloriæ, & hunc
animum secum afferunt, ut minuant Pontifi-
cis & opes & autoritatem. Denique nullus
hic assidet, quin sibi putet aliquid aduersus
Pontificem licere Concilij titulo, nimirum ali-
as inuictum. Proinde uix ullum Concilium
tam foeliciter cessit, ut summus ille Pontifex
non aliquam maiestatis suæ iacturam sense-
rit, minusq; summus discesserit. Cuius rei
uel ipse testis esse potes, nisi prorsus exci-
dit. Nam quanquam tum quidem de rebus
leuiculis agebatur, non de imperijs & regijs
censibus, ut nunc, tamen Iacobus ausus est
tuæ orationi nonnihil de suo adijcere. Ete-
nim quum

nim quū tu gentiles onere Mosaicae legis in
totū liberasses, Iacobus succedens, fornicatio-
nem excepit, & sanguinem, & idolothytum,
ueluti corrigens tuam sententiam, Vt hodieq;
sint, qui hac re commoti non tibi, sed Iacobo
putent fuisse summi pontificis auctoritatem.
PET. Vnum igitur illud spectandū existimas,
ut salua sit regia summi pontificis maiestas, ac
non magis publica utilitas reip. Christianae?
IVL. Ad suum quisq; comodum spectat, nos
nostrum agimus negocium. PET. Atqui si
Christus idem fecisset, iam nec esset Ecclesia,
cuius te monarcham esse iactitas, & non ui-
deo qui conueniat, ut qui Christi Vicarius
appellari gaudeat, Christo diuersa sequa-
tur. Sed illud iam expedi, qua nam arte schis-
maticum illud, uti tu uocas, Concilium dis-
cussis? IUL. Dicam equidem, assequere
si potes. Primum Imperatorem Maximi-
lianum (sic enim uocant) ut est unus omni-
um minime difficilis, tametsi per solennes
nuncios Concilium indixerat, tamen non di-
cendis modis ab instituto seduxi. Prate-
rea Cardinalibus aliquot arte simili persuasi,
ut quod publicatis iam instrumentis statue-
rant,

rant, rursus accitis notarijs ac testibus, nega-
runt. PE. An istud licet? IV. Quid ni liceat
approbante summo pontifice? PE. Quid igitur
si uolet, iusiurandum, iusiurandum non est,
ut a quo passim quos uult liberat. IUL. Sed
tamen ut ingenue dicam, erat id quidem paulo
impudentius, uerum non patebat uia commo-
dior. Deinde quum uidebam futurum, ut apud
nonnullos inuidia Concilij premerer, maxime
quod sic esset indictum, ut non excluderer,
sed suppliciter inuitarer, rogarerq; pre-
siedere, uide quam iam technam repererim, su-
periorum secutus exemplum. Ipse uicissim ad
Concilium prouocaui, causans, nec tempus,
nec locum satis esse idoneum, quem illi pre-
stituissent. Romae subito Conciliū indixi, quo
neminem uenturum arbitrabar Iulio non ami-
cum, aut certe non obsecundaturum. Sic enim
eos multis exemplis docueram. Ac protinus
in hunc usum complures Cardinales creauē
meis institutis accommodos. GE. Hoc est, fa-
cinorissimos. IV. Rursus hoc Conciliū, nisi
indixissem, Concilium non fuisset, & tamen
haud quaquam expediebat rebus meis tan-
tam Episcoporum & abbatum turbam
huc

huc confluere, inter quos fieri non potest,
quin aliquot probi pijsq; fuerint futuri. Itaq;
monui, ut sumptibus parcerent, & singulae
regiones unum aut alterum dumtaxat mit-
terent. Deinde cum ne hoc quidem satis tu-
tum uiderem, & paucos ex tot prouincijs ad
magnum redituros numerum, denuo illis iam
ad iter accinctis denunciaui, ne uenirent,
Concilium in aliud tempus prorogandum,
commentus ad id causas utcumq; probabiles.
Atq; ijs artibus exclusis uniuersis, rursus an-
teuertens, quem praescripseram diem, Romae
Concilium institui, cum ijs dumtaxat, quos
ad id paraueram. Inter quos etiam si qui fu-
turi essent, qui dissentirent a me, tamen illud
certum habebam, iulio neminem refragatu-
rum, tanto armis & satellitibus superiori.
Iam ad hunc modum ingentem inuidiam moui
Gallicano illi Concilio, dimissis quoquoer-
sum literis, in quibus de nostro sacrosancto
Concilio faciebam mentionem, Concilium
illorum execrans, conuenticulum Satanae,
conciliabulum Diaboli, schismaticam con-
spirationem subinde nominans. P E T.
Oportet sceleratissimos fuisse Cardinales
autores

autores ac principes Concilij. IVL. De moribus nihil queror, sed caput huius negocij fuit Cardinalis Rothomagensis, qui nescio qua sanctimonia semper huc spectavit, ut Ecclesiam redderet emendatiorem, Idq; fecit locis aliquot. Hunc mors eripuit mihi, tum rem faciens omnium gratissimam. Successit huic Cardinalis, titulo sanctæ crucis, Hispanus, vitæ quidem inculpatae, sed rigidus, senex, ac Theologus. Quod quidem genus hominum ferme solet esse infestum Romanis pontificibus. PET. At qui homo Theologus nihil habebat, quod suo facto probabiliter obtexeret? IVL. Permulta. Aiebat enim nulla fuisse tempora inquietiora, quantum erant, nunquam Ecclesiæ morbos magis intolerandos, itaq; generali Concilio succurrendum. Me cum ad summum pontificium admitterer, sacramentis adactum, ut secundo ab inito pontificatu anno Concilium indicerem, et ita adactum, ut ne à Cardinalium confessu possim absolui. Deinde sæpius a fratribus Cardinalibus meis admonitum, rogatū, interpellatum a Principibus, quiduis potius quam hoc in aurem admisisse, ita ut palam appareret, Iulio uiuo nunq̄ futurum Conciliū.

C

Citabant

Citabant exempla Superiorum Conciliorum,
citabant leges aliquot pontificias, quib. osten-
debant me cum meis detrectante Conciliū, ad
se ius indicendi deuolutum. Cateris item
principibus conuiuentibus, indicendi munus
ad Imperatorem Ro. qui olim solus indice-
bat, & ad Gallorum Regem, qui præcipuus
esset, pertinere. PE. Num igitur in te nefan-
da dictu scribebant? IV. Imo furciferi plus hic
sapiebant quam auolebam. Rem odiosissimam
mira modestia tractabant, et non solū tempe-
rabant a maledictis, sed me nunq̄ nisi cum
honoris præfatione nominabant, rogantes &
obsecrantes per omnia sacra, piaq̄, ut quod
me dignum erat, quodq̄ iureiurando pollicitus
essem, Concilio indicto præsiderem, pariterq̄
secum sanandis Ecclesiæ malis operam com-
modarem. Nec dici potest, quantum hæc tem-
perantia mihi conflarit inuidiæ, præsertim cū
omnia sua sacris literis condirent, Nam appa-
ret eruditos aliquot ad id adhibitos. Adde-
bant interim ieiunia, orationes, miram uitæ
frugalitatem, ut magis etiam me premerent
opinione sanctitatis. PE. Tu contra quo ti-
tulo Concilium indixeras? IUL. Longe splen-
didissimo. Ostendebam mihi in animo esse
primum

primū corrigere caput Ecclesie, hoc est, me
ipsum. Deinde principes Christianos. Postre-
mo plebem uniuersam. PE. Bellam audio co-
moediam, sed iam exspecto catastrophem. Iuuat
audire, quid Theologi illi in Satanae concilia-
bulo statuerint. IV. Indigna, abominanda, re-
fugit animus cōmemorare. PE. Obsecro tam
nefanda? IV. Prorsus impia, sacrilega, plusq̃
heretica, quibus nisi manib. & pedibus obsti-
tissim, imo armis pariter atq; ingenio, actum
erat de dignitate Ecclesie Christianae. PET.
Tanto magis exspecto quae sint ista. IUL.
Ah horresco referens. Id agebant scelesti, ut
Ecclesiam tot opibus, ac tanta dititione floren-
tem, ad ueteres illas sordes, ac miseram fruga-
litate reuocarent. Ut Cardinales, qui nunc
uita strepitu quosuis antecellunt tyrannos,
ad paupertatem redigerentur. Ut Episcopi
multo contractius uiuerent, minus satellitum,
minus alerent equorū. Decreuerant, ne passim
Cardinales absorberent Episcopatus, Abba-
tias, Sacerdotia, Ne quis unus plures Epi-
scopatus complecteretur, Istos qui per
fas (ut aiebant) nefasq; sexcenta, si
possint, cumulant sacerdotia, coercerent
C ij cense-

eensebant, ut his essent contenti censibus, quī
frugali sacerdoti satis essent. Ne quisq̄ crea-
retur summus pontifex, aut Episcopus, aut sa-
cerdos interuentu numorum, aut respectu fa-
uoris, aut turpis obsequij, sed dumtaxat ex ui-
tæ meritis, Quod si compertum esset, illico
submoueretur. Vt liceret Ro. Pontificem, pa-
lā facinorosum, ab honore depellere. Vt Epi-
scopi scortatores ac temulenti priuarentur
administratione. Vt sacerdotes palam facino-
rosi, non solum sacerdotio, uerū membro cor-
poris mutilarentur, Aliaq; id genus permulta
nam omnia referre piget, Quæ prorsus eo tē-
debant, uti nos onerarent sanctimonia, diui-
tjjs & imperio spoliarent. PET. Quid igi-
tur contra hæc statuebatur in illo sacrosan-
cto Concilio Romano? IUL. Iam mihi uide-
ris oblitus id quod dixi, imo nihil aliud agere
uoluisse Concilij prætextu, nisi ut clauum
clauo pellerem. Primus ille conuentus con-
sumptis solennibus quibusdam ceremonijs, ex
autoritate relictis, quas ob autoritatem adhuc
utcumq; placet obseruare, etiamsi nihil ad
rem pertinent, peracta sacra duo, Alterum
de sancta cruce, alterum de sancto spiritu,
tanquam huius afflatu res ageretur. Deinde
recitata

recitata oratio plena laudum mearum. Proximo confessu, quanta uir potui torsi fulmen in schismaticos illos Cardinales, plusquam impium, plusquam sacrilegum, plusquam hereticum pronuncians, quicquid illud esset quod aut iam statuissent, aut statuere pararent. Tertio confessu eodem fulmine terrui Galliam, nundinis a Lugduno translatis, & quibusdam Galliae partibus nominatim exceptis, quo magis alienarem a rege plebis animos, et aliquam inter ipsos seditionem excitarem. Atque haec statim acta, quo plus haberent autoritatis bullis prodita, ad omnes missi Principes, praesertim ad hos, quos uidebam in nostram factionem esse propensiores. PET. At praeterea nihil actum? IUL. Id actum est quod uolebam, uicini, si modo nostra ualebunt decreta. Tres illos Cardinales qui perstiterunt in coeptis, Cardinalitia dignitate publicis ceremoniis priuauit, sacerdociorum census alijs contuli, ne facile possent restitui, ipsos tradidi Sætanæ, libentius tamen ignibus traditurus, si in manus meas incidissent. PET. Attamen si uera narras, non paulo sanctiora uidentur illius schismatici conciliabuli decreta, quam tui sacrosancti Concilij, unde nihil adhuc uideo prodijisse,

C iij prodijisse,

prodijsse, nisi minas tyrannicas, execrationes,
& astu mixtam crudelitatem. Si Satanas fuit
illius autor conciliabuli, propius uidetur ad
Christum accedere, quam spiritus ille nescio
quis, qui modo uestrum moderatus est conciliū
IV. Quin tu quid loqueris etiam atq; etiā uide.
Nam omnibus bullis meis execratus sum oēs,
quicumq; illi conciliabulo quocunq; modo fa-
uerint. PE. Miser ut adhuc ueterem illum sp̄
rat Iulium. Sed quis tandem huius exitus ne-
gocij? IV. Hoc equidem in statu reliqui, quor-
sum euasurum, uiderit fortuna. PE. Nimi-
rum schisma manet. IV. Manet, & quidem
periculosissimum. PE. Et tu quidem Christi
Vicarius schisma maluisti, q̄ uerum Conciliū?
IV. Vel trecenta schismata potius, quam me
uelim in ordinem cogi, & ad totius uitæ red-
dendam rationem adigi. PE. Ita tibi consci-
us? IV. Quid id tua? PE. Intellego. Non
expediebat eam moueri a marinam, sed pe-
nes utros erit uictoria? IV. Istud fortunæ est
in manu. Quanquam à nobis plus est pecunia-
rum. Gallus exhaustus est diutinis iam bellis,
Anglus auri montes habet intactos adhuc.
Illud indubitato possum uaticinari, si Gallus
uicerit, id quod abominor, uertentur rerum
nomina,

nomina, sacrosanctum illud Concilium, Sa-
tanæ conciliabulum erit. Ego idolum pontifi-
cis, non pontifex, penes illos Spiritus san-
ctus erit, nos spiritu Satanæ fecerimus omnia.
Verum mihi ingens fiducia est in relictis pe-
cunijs, ne hæc fiant. PE. At quid rei tan-
dem incidit aduersus Gallos, et horum regem?
quem uestri maiores Christianissimi titulo de-
corarunt, præsertim cum illorum præsijs fa-
tearis & uixisse te, & ad istam plusquam im-
perialem coronam euectum. Deniq; Bononi-
am, & reliquas urbes recepisse, domuisse Ve-
netos, omnibus inuictos. Quomodo tot tam
recentium meritorum abolita memoria?
Quomodo tot discissa fœdera? IUL. Istam
explicare fabulam perlongum fuerit. Ve-
rum ut summatim dicam, nihil à me noua-
tum est, sed quod iam olim animo parturie-
ram, tum parere coepi, Quod antea rebus
ita poscentibus, dissimularam, tunc aperui.
Gallis nunquam ex animo bene uolui, hoc
tibi de tripode dictum puta. Nec ullus Ita-
lus ex animo bene uult Barbaris, non Her-
cule magis, quam lupo agnis. Sed ego
non Italus modo, uerumetiam Genuensis,
tantisper illis utebar amicis, dum opus
C iij • esset

esset illorum ministerio. Quandoquidem ha-
ctenus utendum est opera Barbarorū. Inte-
rea multa tuli, multa dissimulaui, multa finxi,
deniq; nihil non & feci, & passus sum. Ve-
rum ubi iam res in eum propemodum locum
deductæ sunt, in quem uolebam, supererat ut
uere Iulium agerem, totamq; illam Barbaro-
rum fecem Italia submouerem. PET. Cu-
iusmodi beluæ sunt isti, quos uocas Barbaros?
IUL. Homines sunt. PET. Homines igitur,
at non Christiani? IUL. Et Christiani, sed
quid hoc ad rem pertinet? PET. Ergo Chri-
stiani quidem, sed absq; literis, agrestem de-
gentes uitam. IUL. Imo rebus istis maxime
florent illi, quin insuper, id quod illis inprimis
inuidemus, opibus. PET. Quid igitur sibi
uult Barbari cognomen? Quid mussas? GE.
Dicam huius uice. Itali cum sint ex omni bar-
barissimarum nationum colluue conflati con-
fusiq;, non aliter quam sentina quedam, ta-
men e gentilium literis, hanc imbiberunt in-
saniam, ut extra Italiam natos barbaros ap-
pellent. Quod quidem cognominis, apud illos
contumeliosius est, quam si parricidam dicas,
aut sacrilegum. PET. Ita uidetur. Atqui
cum pro omnibus hominib. mortuus sit Chri-
stus, nec

stus, nec apud illum sit ullius personæ respe-
ctus, cunq; te Christi Vicarium profiteris, cur
nō omnes complectebaris eodem animo, quos
non discreuit ipse Christus? IVL. Equidem
& Indos, & Afros, & Aethiopes, & Græ-
cos complecti cupiam, si modo numerent, &
Principem agnoscant uectigalibus. Verū hos
omnes recidimus, & proxime Græcos, quod
homines nimium tenaces, parum agnoscerent
Romani pontificis maiestatem. PET. Ergo
Romana sedes totius orbis ueluti horreū est?
IVL. Magnum uero, si omnium metamus car-
nalia, cum omnibus nostra spiritalia semine-
mus? PET. Quæ narras spiritalia? Nam
adhuc quidem præter mundana nihil audio.
Fortasse doctrina sacra trahis ad Christum.
IVL. Sunt qui concionentur si uelint, nec
eos prohibemus, modo ne quid dicant aduer-
sus maiestatem nostram. PET. Quid igitur?
IVL. Quid igitur? Cur Regibus datur quic-
quid exegerint? nisi quia his acceptum refe-
runt singuli, quicquid possident, etiamsi nihil
ab illis acceperint. Ita quicquid est sacri usq;
nobis imputandum est, etiamsi totam sterta-
mus uitam. Quanquam præter ista largissime
donamus indulgentias exigua pecuniola,
C v dispensa

dispensamus in rebus grauissimis non maxima
summa, passim omnibus obuijs benedicimus,
idq; gratis. PET. Equidem nihil horum in-
telligo. Sed redi ad id, quod institutum erat,
Quam ob rem tua sanctissima maiestas tanto
pere Barbaros horreat, ut coelum terræ mi-
scendum duxeris, quo illos ab Italia depelle-
res? IVL, Dicam, Superstitiosius est cum
omne Barbarorum genus, tum præcipue Gal-
lorum. Nam cum Hispanis non pessime nobis
conuenit, siue linguam spectes, siue mores.
Quanquam hos quoq; submotos uolebam,
quo prorsus nobis liceret more nostro age-
re. PET. Colunt præter Christum & alios
Deos? IVL. Imo Christum ipsum nimis an-
xie colunt. Antiquis quibusdam & iam pri-
dem obsoletis uocabulis, mirum est quam ad
huc homines stultissimi permoueantur. PE.
Forte magicis. IVL. Nugaris, imo simonia,
blasphemiam, Sodomiam, ueneficio, sortilegio.
PE. Bona uerba. IV. Itidem ut tu nunc abomi-
naris & isti. PE. Omitto nomina, res sunt
apud uos, ne dicam apud ullos Christianos.
IV. Sane Barbari non ipsi uacant uicijs, sed
cum diuersis laborent, nostra execrantur,
suis blandiuntur. Nos contra nostris blan-
dimur,

dimur, illorum abominamur. Nos abomi-
nandum probrum ducimus, ac per fas, ne-
fasq; fugiendum, paupertatem. Illi uix Chri-
stianum esse existimant opibus frui, uel sine
fraude quaesitis. Nos ebrietatem nec nomi-
nare audemus (quanquam hac quidem in par-
te, non ita uehementer ab illis dissentiam,
si caetera conueniant) At Germani leue
putant erratum, & festiuum magis quam
sceleratum. Usuram uehementer exe-
crantur illi. At apud nos nullum hominum
genus aequae necessarium Ecclesiae Christi.
Venerem praeposteram usq; adeo spurcam
ducunt illi, ut si quis uel nominet modo, &
aerem & solem existiment pollui. Nobis
longe diuersa sententia est. Item simonia,
iam olim e rerum natura sublatum uocabu-
lum, uelut umbram adhuc formidant illi, &
antiquatas iam ueterum leges mordicus te-
nent. Nos alio spectamus. Atq; huiusmodi
permulta sunt alia, in quibus nobis non
conuenit cum Barbaris. Proinde cum
iam simus tam dissimili uita instituto, pro-
cul arcendi sunt a nostris mysterijs, ma-
gis suspecturi si nesciant. Nam si
semel

Semel intellexerint arcana curiæ nostræ, pro-
tinus euulgant, & nescio quo pacto ad uitia
reprehendenda sunt oculatissimi, scribunt
maledicentissimas ad suos literas. Clamitant
passim apud nos, non esse sedem Christi, sed
sentinam Satanae. De me disputant, Num sic
assecutus pontificium, sic uiuens, pro ponti-
fice sim habendus. Atq; ita primum minu-
unt nostram apud ignotos sanctitatis opinio-
nem, simul & autoritatem, qui ante nihil de
nobis audierant, nisi quod Christi uicem gere-
remus, & proximam, atq; adeo parem Deo
potestatem teneremus. Atqui his è rebus in-
tolerabilis Ecclesiæ Christianæ iactura na-
scitur. Dispensationes & pauciores, & mi-
noris uendimus. Minor census redit ex Epi-
scopatibus, & sacerdotijs, & Abbatijs. Vul-
gus, si quid exigitur, malignius dat. Breuiter,
undecumq; parcior quæstus, & steriliores nun-
dinæ. Postremo fulmina quoq; nostra minus
ac minus horrent. Quod si semel eo processe-
rint audaciæ, ut dicant sceleratum pōtificem
nihil agere, ac fulmen minasq; cōtempserint,
nobis ad famem plane redierit res. Quod si
procul abfuerint (ita ingenium est Barba-
rorum) impensius uenerabuntur, nosq; lite-
ris com-

ris commode scriptis, ex animi sententia re-
geremus. PET. Non optime uobiscum agi-
tur, si hinc pendet autoritas Apostolica, ut
uita ignoretur, nesciantur technæ. Nos nihil
aliud optabamus, nisi ut uniuersis esset cog-
nitum, quicquid uel in cubiculis ageremus, Atq;
ita demum plurimi fiebamus, si uere innotuisse-
mus. Verum illud expedi, Adeo religiosos prin-
cipes nunc habet mundus, tantaque est apud illos
sacerdotum reuerentia, ut ad unius, atque adeo
talis nutum, ad arma descenderint uniuersi.
Nam meis quidem temporibus, hos infestissi-
mos hostes patiebamur. IUL. Quantum ad
uitam attinet, non sunt admodum superstitiose
Christiani. Nos plane contemnunt, ac pro nu-
gamentis habent, nisi quod aliquot ex his in-
firmiores non nihil metuant terrificum illud
fulmen excommunicationis. Nec hi tamen per-
inde re atque opinione commouentur. Sunt qui
nostras opes uel sperant uel metuant, eoque
non nihil nostræ deferunt autoritati. Qui-
busdam persuasum, ingens aliquod infortunium
manere hos, qui sacerdotibus qualibuscumque
negocium facessunt. Omnes ferme, ut sunt
ciuilibus educati, non nihil tribuunt ceremo-
nijs, præsertim a nobis prouocati. Nam ce-
remonijs

remonia ceu fabulae quaedam vulgo dantur.
Ceterum res interim serio agitur. Nos illos
magnificis titulis decoramus, etiam si sint sce-
leratissimi. Hunc catholicum appellantes, illi
serenissimum, alium illustrissimum, alium Augu-
stum, omnes dilectos filios nominamus. Illi
uicissim nos, sanctissimos patres in suis lite-
ris uocant, & aliquoties ad oscula pedum
se submitunt. Et ubi non multum nego-
cij uertitur, cedunt nonnunquam auctoritati
nostrae, quo sibi pietatis opinionem apud
vulgus parent. Nos illis rosas mittimus con-
secratas, tiaras, gladios, & illorum dignita-
tem maximis bullis confirmamus. Illi ui-
cissim mittunt equos, milites, pecuniam, non-
nunquam & pueros, atq; ita mutuum (quod
aiunt) muli scabunt. PE. Si tales sunt, non-
dum intelligo, quo pacto potueris summos
Reges ad grauissima bella concitare, praeser-
tim ruptis tot foederibus. IVL. Atq; si
nunc assequi possis ea quae dicam, intelliges
ingenium plusquam Apostolicum, PE. Ad-
nitar equidem quoad potero. IV. Illud in pri-
mis mihi studio fuit, omnium gentium, ac praeser-
cipue Principum ingenia, mores, affectus,
opes, & conatus pernosse, cui cum quo con-
ueniat,

ueniat, cui cum quo dissidium sit, Deinde his
omnibus ad nostram commoditatem uti. Prin-
cipio Gallos facile concitauimus in Venetos,
quod inter hos intercederet uetus atq; anti-
qua similtas. Deinde sciebamus eam gen-
tem auidam imperij prorogandi. Et Veneti
illorum quoq; nonnullas urbes occuparant,
Itaq; meum negocium, cum illorum negotio
miscui. Tum Imperator, quanquam alioqui
non admodum amicus Gallo, tamen quia non
erat alia spes a Venetis recipiendi, quæ te-
nebant (tenebant autem urbes aliquot egre-
gias) pro tempore se huic bello adiunxit.
Deinde, quum non placeret Gallos supra mo-
dum crescere (res enim successerat foelicus
quam uolebam) primū Hispaniarum regem in
eos extimulaui, primum hominem, non fides
adamantinae, deinde cuius magnopere refere-
bat, utcunq; premi Gallorum potentiam, cum
ob alia multa, tum præcipue, ne quando di-
tione Neapolitana excluderetur. Ad hæc Ve-
netos tametsi non probarē, fiste tamen in gra-
tiam recepi, ut hos quoq; recētis cladis dolore
exacerbatos in Gallos immitterē. Rursum Im-
patorem, quem paulo ante cū Gallis cōiunxe-
rā, ab illis distraxi. Idq; partim pecunijs, quæ
apud homi-

hominem egentem semper ualent plurimum.
Partim literis, & nuncijs, renouato ueteri in
Gallos odio, quo uir ille mirum quam semper
flagrarit, etiam si deerat ulciscendi facultas.
Iam Anglos sciebā genuino odio esse in Gal-
lorum gentem, & in ijs coniuuentissimos Sco-
tos. Ad hæc intelligebam nationem præfero-
cem, & bellicupidā, idq; potissimū prædandi
spe, Tum etiam superstitosam aliquantulum,
quod longissime absit a Roma. Postremo id
temporis, noua libertate (quæ tandem illis
morte regis omnium seuerissimi contigerat)
insolentes ac pene tumultuantes, ut facile
iam possent ad quamuis insaniam extimulari,
quodq; maxime uolebam, accessit ad oportu-
nitatem rerū mearum, Rex admodum adole-
scens, uel puer potius, et nuper regno potitus,
ingenio acri uiuidoq; ac uere iuuenili, hoc
est, inquieto & bellicoso, nec etate tantū am-
bitiosus, et ad res non mediocres erectus. Qui
iam tum à primis annis huc spectasse diceba-
tur, ut Gallos adoriretur armis. Super omnia
affinis erat Hispano Regi, quem iam ad arma
traxeram. Hisce rebus omnibus usus sum ad
Ecclesiæ commoditatem. Ac sexcentis literis,
non absq; ingenio scriptis, tandem inuolui
principes

Principes bello omnium grauissimo. Neq; uero
quenq; ceterorum intentatū reliqui, neq; regem
Hungarum, neq; Lusitaniae, neq; Burgundionū
regibus parem ducem. Verum quia ad hos nihil
harum rerum attinebat, percellere non quivi,
& sciebam his tumultuantib. neminem cete-
rorum quieturum. Hi igitur quum suo morem
gererent animo, tamen honestissimum titulum
acceperunt a nobis, ut quo maiorem cladem in-
ferrent populo Christiano, hoc religiosius uide-
rentur Ecclesiam Dei protegere. Atq; uti ma-
gis admireris uel ingenium meum, uel foelicitate-
tem, belligerabatur id temporis Hispaniae Rex
cū Turcis incredibili rerum successu, maximoq;
suo quæstu, & tamen illis omnibus omisis, in
Gallum uniuersas uires conuertit. Ad hæc Im-
perator non foederibus modo multis, uerum eti-
am beneficijs immensis deuinctus erat Gallis,
uel hoc nomine, quod horum sumptu operaq;
suas in Italia ciuitates recepisset. Et hic erat
quod ageret, nempe ut sua tueretur. Iam enim
Patauium descuierat, & in Burgundia, nempe
ut Geldros hostes grauissimos (in quos belli
suscipiendi fuerat autor) a nepote suo Burgū-
dionum Principe depelleret. Et tamen effeci, ut
suis omisis meum agerent negocium. Tū nulla
D gens est,

gens est, apud quam minus ualeat summi pontificis autoritas, quam Anglorum (id quod protinus liquebit, si quis diui Thomæ Cantuariensis Episcopi uitam, ac ueterum Regum constitutiones euoluerit) ea tamē gens alioqui exactionū impatientissima, passa est propemodū se deglubi. Mirum aut, quomodo sacerdotes quoq; qui nobis consueuerant quicquid possunt subtrahere, adduxerim ut regi tributū numerarēt, haud perpendentes cuiusmodi fenestram regibus in posterū aperuerint. Quanquam nec ipsi Reges satis animaduertebant, quod exemplum induxerint aduersus seipsos, nempe, ut liceat postea Ro. sacris regno mouere, quem oderit Principem. Et Rex adolescens maiori etiam motu rem aggressus est quam uolebam, aut quā iusseram, tametsi malebam in hanc peccari partem. Iam uero longum fuerit explicare sigillatim, quibus artibus eos Principes ad tam periculosum bellum excitari in Christianos, quos nullus unquam Pontifex uel in Turcas potuit excitare. PE. At fieri potest, ut bellorum incendiū per te suscitatum, uniuersum deniq; mundum corripiat. IUL. Corripiat sane, modo Romana sedes dignitatem, et possessiones tueatur suas. Tametsi conatus sum omnem
belli

Bellū molem ab Italis in Barbaros reijcere, di-
micent illi quantum libet, nos spectabimus &
fortassis illorum fruemur insania. PE. Pertinet
hoc ad pastore & patrem sanctissimū, et Chri-
sti uicarium? IV. Cur excitant schisma? PE.
Atqui peccata nonnunq̄ ferenda sunt, si plus
malorum est à medela. Deinde si tu Concilium
admisisses, non erat locus schismati. IUL. Bo-
na uerba. Ego sexcenta bella malim, quam
Conciliū. Quid si me submouissent a pōtificio,
ueluti simoniacum, & negociatorem pontificij,
non pontificem? Quid, si oēm uitam meam per-
didissent prodidissentq; in uulgus? PE. Etiam
si uerus pōtifex esses, tamen satius erat honorē
cedere, quam tantis orbis Christiani malis tuam
dignitatem tueri. Si modo dignitas est Episcopa-
tus indigno commissus, ac ne commissus quidem,
sed emptus, & arreptus. Vnde illud mihi obiter
uenit in mentem, te cōsilio quodam diuino Gal-
lis extitisse pestem, qui prius ecclesiæ te pestem
inuexerunt. IV Per triplicē coronam meā iuro,
perq; meos clarissimos triūphos, si mihi bilē mo-
ueris, senties et tu uim Iulij. PE. O phreneticū,
Verū haestenus nihil audio, nisi ducē nō Ecclesia-
sticū, sed mundanū, nec mundanū tantū sed eth-
nicū, imo ethnicis sceleratiore. Gloriaris te plus

D ij

rimum

rimum potuisse ad discindenda fœdera, ad in-
flammanda bella, ad strages hominum excitan-
das. Ista Satanae potestas est non Pontificis.
Qui Christi Vicarium se facit, cum oportet
ad illius exemplar quam proxime accedere.
Est in illo summa potestas, sed cum summa bo-
nitate coniuncta, Est summa sapientia, sed sim-
plicissima. In te potestatis imaginem uideo,
cum summa malicia, summaq; stulticia copula-
tam. Quod si malorum princeps Diabolus,
Vicarium sibi cupiat subrogare, quem potius
asciscat, quã tui similem? Dic ubi uirũ Apo-
stolicum egeris? IV. Quid magis Apostolicum,
q̃ augere Christi Ecclesiam? PET. Atqui si
Ecclesia est populus Christianus, Christi spiritu
conglutinatus, subuertisse mihi uideris Ecclesi-
am, qui orbẽ uniuersum, ad teterrima bella con-
citaris, quo tu impune malus & pestilens esses.
IV. Nos Ecclesiam uocamus sacras aedes, sacer-
dotes, & præcipue curiam Romanã, me in pri-
mis, qui caput sum Ecclesie. PE. At Christus
nos ministros fecit, se caput, nisi nunc secundũ
caput accreuerit. Sed quibus tandem aucta est
Ecclesia? IV. Nunc ad rem accedis, itaq; dicam.
Illa olim famelica & pauper Ecclesia, nunc
adco floret ornamentis omnibus. PE. Quibus?
ardore

ardore fidei? IV. Rursum nugaris. PE. Sacra
doctrina? IV. Obtundis. PE. Cōtemptu mun=
di? IV. Sine me dicere, ueris inquam ornamen=
tis, nam istaec uerba sunt. PE. Quibus igitur?
IV. Palacijs regalibus, equis & mulis pulcher=
rimis, famulatio frequentissimo, copijs instru=
ctissimis, satellitijs exquisitis. GE. Scortis for=
mosissimis, lenonibus obsequentissimis. IV. Au=
ro, purpura, uectigalibus, ut nullus Regum non
humilis ac pauper uideatur, si cum Ro. ponti=
ficis opibus, strepituq; cōferatur, Nemo tam am=
bitiosus, quin se uictum agnoscat, Nemo tam
lautus, quin suam cōdemnet frugalitatē, Nemo
tam nummatus nec foenerator, quin nostris inui=
deat opibus. Hæc inquam ornamenta & tutatus
sum & auxi. PE. Sed dicito mihi, Quis omniū
primus istis ornamentis & inquinauit & onera=
uit Ecclesiam, quā Christus purissimam pariter
& expeditissimam esse uoluit? IV. Quid istud
ad rem attinet? Certe quod est caput, tenemus,
possidemus, fruimur, Quanq̄ aiunt Constantinū
quendam uniuersam imperij sui maiestatem in
Syluestrū Ro. pontificem transfudisse, phale=
ras, equos, currus, galeam, balteum, paludamen=
tum, satellitiū, enses, coronas aureas, & auri qui=
dem purissimi, exercitus, machinas bellicas, ur=
bes,

D iij

bes,

bes, regna. PE. Et extant istius munificentiae
certa monumenta? IV. Nulla, praeter Palaeam
unam decretis admixtam. PE. Fabula fortassis
est. IV. Id uel ex meipso conijcio. Quis enim
sanus, tam magnificū imperium cederet uel pa-
tri? Sed tamen ualde libet credere, & curiosis
haec refellere conantibus silentium magnū mi-
nis indicimus. PE. Atqui nihil adhuc audio, nisi
mundum. IV. Tu fortasse ueterem illam Eccle-
siam adhuc somnias, in qua tu cū famelicis ali-
quot Episcopis frigidū sane pontificem agebas,
paupertati, sudori, periculis, ac mille obnoxius
incommodis. Iam aetas in melius commutauit
omnia, Alia longe res nunc est Ro. pōtifex, Tu
nomine tituloq; dumtaxat eras pontifex. Quid
si nunc uideres tot sacras aedes regijs extructas
opibus, Tot ubiq; sacerdotum millia, plarosq;
censu amplissimo, Tot episcopos armis et opib.
summis pares regib. Tot splendidissima sacerdo-
tū palatia, praecipue uero, si nūc Romae uideas
tot purpuratos Cardinales, legionib. famulorū
stipatos, tot equos plusq; regios, tot mulos bys-
so, auro, gemmis ornatos, aliquot soleis etiam
aureis & argenteis calceatos. Iam si summum
Pōtificem conspiceres, sublimem in aurea sella
militum humeris uehi, ad manum motam passim
omnes

omnes adorantes. Si crepitum audires **Com-**
bardarum, si clangorē tubarum, si bombos clas-
sicorum, si fulmina machinarum uideres, si po-
puli applausus, si acclamationes, si omnia tædis
collucentia, si summos etiam principes ad beato-
rum oscula pedū uix admitti. Si spectasses Ro.
illum sacerdotem pede coronam auream impo-
nentem imperatori Ro. qui rex est regū omniū
(si quid modo ualent iura scripta) quanq̄ nihil
obtinet, nisi magni nominis umbram. Hæc in-
quam si uidisses, audissesq; quid tædem diceres?
PE. Tyrannū plus quam mundanum uidere me,
Christi hostem, Ecclesiæ pestem, **IV.** Secus lo-
quereris, si uel unum meorum triumphorū spe-
ctasses, uel eum quo Bononiam sum inuectus,
uel quem egi Romæ subactis Venetis, uel quo
Bononia fugiens Romā sum reuectus, uel quem
hic egi postremum, Gallis præter omnem spem
fufis apud Rauennam. Si mannos, si caballos, si
militum armatorum aciem, si ducum ornamen-
ta, si delectorum spectacula puerorum, si faces
undiq; lucentes, si ferculorum apparatus, si
pompan Episcoporum, si Cardinalium fastum,
si trophæa, si manubias, si in cælum reboantes
plebis ac militū acclamatioes, si plausu perstre-
pentia omnia, si lituorū cantū, tubarū tonitrua,

D. iij

bombas

bombardarū fulmina, si sparsos in populū numeros, si me ueluti numē quoddam sublimem ferri spectasses, totius pompæ caput et autorem, tū Scipiōes, Aemilios, Augustos, sordidos ac frugales dixisses præ me. PE. Ohe, satis triumphorū gloriosissime miles, immo illos, licet ethnicos, odio tui cōplector, qui cassis tua causa tot Christianorum milibus triumphos agebas sanctissimus in Christo pater, tot legionib. interitus auctor extitisti, qui ne unam animulā, neq; uerbo, neq; uita Christo lucrifeceris. O paterna uiscera, o dignū Christi uicarium, qui semetipsum impendit ut oēs seruaret. Tu ut unum pestilens defenderes caput, totius orbis exitiū accersisti. IV. Ista loqueris, quod inuideas gloriae nostræ, dū perspicias q̄ humilis fuerit tuus Episcopatus cum nostro collatus. PE. Audes impudens tuam gloriam cū mea conferre? Tametsi mea gloria, Christi gloria est, non mea. Primū omniū si mihi das Christum optimum esse, uerumq; principem Ecclesiæ, ipse mihi claues regni dedit, ipse pascendas oues commisit, ipse meam fidem suo preconio approbavit, Te pecunia, te studia mortaliū, te fraudes fecere pontificem, si modo pontifex is appellandus est. Ego tot animarū milia Christo lucrifeci, Tu tot in extiū traxisti. Ego
ROMANUS

Romam antea gentile, primus Christū docui, Tu
Christiane iam, gētilitatis extitisti magister. Ego
uel umbra corporis sanabam egrotos, liberabam
a Dæmonio uexatos, ad uitam reuocaui defun-
ctos, & quacūq; incederem beneficijs implebam
omnia. Quid simile tui habuere triumphū? Pote-
ram uerbo quē uoluissē tradere Satanæ, et quan-
tum potuerim, experta est Saphira cū suo mari-
to, Tamen quicquid habebam potestatis, in utili-
tatem omnium consumpsi. Tu omnibus inutilis, si
quid poteras, immo, & quod non poteras, ad pu-
blicam orbis perniciem uertisti. IV. Demiror,
cur in catalogo gloriarū tuarum non hæc etiam
addis, pauperiem, uigilias, sudores, tribunalia, car-
ceres, uincula, probra, plagas, cruces deniq;. PE.
Recte admones. Nam istis de rebus iustius gloria-
bor, quam de miraculis. Horum nomine Christus
nos iussit gaudere & exultare, horū nomine nos
beatos uocauit. Ita Paulus collega quōdam meus,
cum sua iactat facinora, non commemorat urbes
armis expugnatas, non legiones ferro caesas, non
orbis principes ad bella concitatos, non fastus
tyrannicos, Sed naufragia, uincula, flagra, peri-
cula, insidias, Hic est triumphus uere Apostoli-
cus, Hæc est gloria Christiani ducis. Iactat ille
quos genuerit Christo, quos ab impietate retra-

U p

xerit,

Merit, Non quot ducatorum milia cōgesserit. De-
niq; nos cum Christo perpetuum iam agentes tri-
umphum laudib. prosequuntur & mali, Te ne-
mo non execrabitur, nisi uel tui similis, uel adu-
lator. IV. Rem inauditam audio. PE. Credo,
nam qui tibi fuisset otium Euangelicas euoluere
litteras, Pauli, measq; epistolas lectitare, tot lega-
tionibus tot fœderibus, tot rationibus, tot exer-
citibus, tot triumphis occupato? At ceteræ qui-
dem artes omnes animū desyderant sordidis uacuum
curis. Christi uero disciplina, pectus requirit
ab omni contagio terrene sollicitudinis pur-
gatissimum. Nec enim tantus Magister è cœlo
descendit in terras, ut facilem aliquam, aut uul-
garem Philosophiam traderet mortalibus. Non
otiosa neq; secura professio est, esse Christia-
num, uoluptates omnes ceu uenenum aspernari,
Diuitias perinde ut lutum calcare, uitam pro ni-
hilo ducere, Hæc est Christi hominis professio.
Hæc quoniam intolleranda uidentur, ijs qui Chri-
sti spiritu non aguntur, ad inania quædam uo-
cabula, merasq; ceremonias deflectunt, & facti-
tio capiti Christi, factitium addunt corpus. IXL.
Quid tandem mihi boni reliquum facis, si me nu-
mis exuis, si regno spoliis, si nudas scenore, si
uoluptatibus abdicas, si uita deniq; priuas? PE.
Quim

Quin tu igitur ipsum Christum infelicem pronuncias, qui cum esset omnium summus, ludibriū factus est omnium. In paupertate, sudoribus, ieiunijs, in fame uitam omnem peregit, deniq; morte omnium probrosissima defunctus est. **IV.** Inueniet fortasse qui laudet, qui imitetur neminem, his sane temporibus. **PET.** Atqui hoc ipsum deniq; laudare, est imitari. Quanquam Christus non orbat suos bonis, sed pro falsis bonis, ueris & eternis locupletat, At non locupletat, nisi prius omnibus huius mundi bonis abdicatos ac repurgatos. Ut ipse totus erat celestis, ita corpus suum, hoc est, Ecclesiam sui similitudinē esse uoluit, id est, a mundi contagijs alienissimam. Alioqui qui posset esse idem cum illo, qui sedet in cœlis, si terrenis adhuc fecibus immergatur? Verum ubi fuerit excussum ab omnibus huius mundi cōmodis, atq; etiā quod amplius est, affectibus, Tum deniq; Christus suas explicat opes, pro relictis mellitis, immo multo aloe tinctis uoluptatibus, cœlestium gaudiorum gustum impertit, pro relictis opibus longe præstantiores. **IVL.** Quas obsecro? **PET.** Ni tu uulgares opes putas, prophetiæ donum, donum scientiæ, donum miraculorum, nisi uilem putas Christum ipsum, quem quisquis habet,
in ipso

in ipso possidet omnia. Postremo nisi nos hic pau-
perē agere uitā putas. Ita quo quisq; in mūdo est
afflictior, hoc uberius delitiatur in Christo. Quo
in mundo pauperior, hoc in Christo locupletior.
Quo in mundo deiectior, hoc in illo sublimior et
honoratior. Quo minus uiuit in mūdo, hoc magis
uiuit in Christo. Verum cum totum corpus suum
purissimū esse uoluit, tum precipue ministros, hoc
est, Episcopos. Et inter hos quo quisq; maior est,
hoc sit Christo similior, & ab omnibus mundi
commodis expeditior, & exoneratior. Nunc con-
tra uideo, eū qui Christo proximus, atq; adeo par
haberi uult, omnium maxime rebus sordidissimis
immersum, pecunijs, ditionibus, copijs, bellis, fœ-
deribus, ut ne quid interim de uitijs dicam? Et
postea cum sis alienissimus a Christo, Christi ta-
men titulo ad tuam abuteris superbiam, Et illius
prætextu, qui regnum mundi despexit, mundanū
tyrannum agis, & uerus Christi hostis, exigis ho-
norem Christo debitū. Benedicis alijs, ipse male-
dictus. Aperis alijs coelum, unde ipse procul ex-
clusus es. Consecras execratus, excommunicas,
cui nihil est cum sanctis cōmune. Quid enim in-
ter te & Turcarum ducem, nisi quod tu Christi
uocabulum prætexis? Certe mens eadem, con-
similes uitæ sordes. Tu maior orbis pestis. IV. At
ego cu-

ego cupiebam Ecclesiam omnibus bonis exornatam. Sed Aristotelem aiunt tres bonorum ordines cōstituere, quorū quaedam sunt fortuna, quaedam corporis, quaedam animi. Itaq; nolebam bonorum ordinem inuvertere. A fortuna bonis coepi, fortasse paulatim ad animi bona uenturus, nisi praematura mors terru me eripuisset. PE. Praematura sane, nempe septuagenariū quanq̄ quid opus erat aquam igni miscere? IV. Atqui si desunt ista cōmoda, uulgus nos non pili faciet. Quin nunc quoq; metunt & oderunt. Atq; ita tota respu. Christiana collaberetur, ni contra uim inimicorum sese tueri queat. PET. Imo si Christianorum uulgus conspiceret in te ueras Christi doctes, nempe uitae sanctimoniam, sacram doctrinā, charitatem flagrantem, prophetiam, uirtutes, hoc te magis suspiceret, quo a mundi cōmodis intelligeret mundiorē. Et Christiana respu. latius floret, si puritate uitae, si contemptu uoluptatum, diuitiarū, imperij, mortis, gentilib. esse admiranda. Nunc non solum contracta est in angustum, uerumetiam si diligentius excutias, plerosq; nomine dumtaxat inuenies Christianos. Quaeso te non reputabas tecum cum esses summus Ecclesiae pastor, quib. modis nata esset Ecclesia, quibus aucta, quibus cōstabilita? Num bellis, num opibus, num equis?

equis? Imo patientia, sanguine martyrum, et nostro, carceribus, flagris. Tu Ecclesiam dicis auctam, cum humana ditione onerati sunt illius ministri. Ornatam uocas, cum mundi muneribus ac delitijs inquinatur. Defensam appellas, cum pro sacerdotum peculio mundus uniuersus bellis pernitiosissimis conflictatur. Florentem dicis, cum mundi uoluptatibus ebrius est. Tranquillam cum nemine reclamante, diuitijs, imo uitijs fruitur. Atque his bracteatis titulis Principibus imposuisti, qui te preceptore docti, magna sua latrocinia ac furiosos conflictus, Christi defensionem uocant.

IV. At qui ista nunquam ante hac audiui. PE. Quid igitur docebant te concionatores? IV. Ab illis quidem nihil nisi meras laudes audiebam, phalaris uerbis mea preconia detonabant, me louem fulmine concutientem omnia, me uerum quoddam numen esse predicabant, publicam orbis salutem, aliaque id genus permulta. PE. Nec mirum sane, nullum extitisse qui te condiret, cum tu salus esses insulsus et fatuus. Nam id proprium Apostolici uiri munus, alios docere Christum, idque purissime.

IV. Non aperis igitur? PE. Cuius potius quam tali pesti. Nam tibi quidem omnes excommunicati sumus. Sed uis consilium non malum, habes multum hominum strennuorum, habes pecuniam immensam,


mensam, es ipse bonus edificator, extrue tibi
nouum aliquam Paradisum, sed probe munitam,
ne possit a cacodemonibus expugnari. IV. Imo
faciam quod me dignum est, operiar menses ali-
quot, & auctis copijs meis, ui deturbabo uos
istinc, nisi in deditiōem uenietis. Neq; enim du-
bito quin breui sint ad me e bellorum stragib. lx.
hominum milia huc peruentura. PE. O pestem,
o miseram Ecclesiam. Sed heus Genie? nana
tecum magis libet cōfabulari, quam cum isto te-
terrimo monstro. GE. Quid est? PE. Sunt isti-
usmodi ceteri quoq; Episcopi? GE. Bona pars
huius est farina, uerum hic omnium antesigna-
nus. PE. Tu uidelicet hominem ad tot excitaſti
flagitia? GEN. Ego minime, imo adeo præcur-
rebat, ut ipse uix alis adiutus assequi possent
PET. Sane non miror, si huc tam pauci adue-
niunt, cum huiusmodi pestes Ecclesiæ guberna-
culis assideant, Quandoquidem uulgus utcunq;
sanabile esse, uel hinc conijcio, quod ob solum
Pontificis titulum, tam spurcæ cloacæ defert
honorem. GEN. Rem ipsam dicis, sed iam
dudum innuit mihi meus Impera-
tor, & baculum mouet,
itaq; VALE.

Pagella A 4. uersu 7. lege pro eripuisse erupisse.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.




154707
(X2204319)



15





I V L I V S,

DIALOGVS VIRI CVIVS- PIAM ERVDITISSIMI, FESTI-

*uus sane ac elegans, quomodo IVLIVS. II.
P. M. post mortem oculi fores pulsando,
ab ianitore illo D. Petro, intromitti
nequiverit, quanq̄ dum uiueret san-
ctissimi, atq; adeo sanctitatis
nomine appellatus totq; bel-
lis foeliciter gestis pra-
clarus, dominum caeli
futurum se esse
sperarit.*

INTERLOCVT ORES.

Iulius. Genius. D. Petrus.

Lector, risum cohibe.